

cum maxima cordis compassione. Assumens homo dei uires ex mentis hylaritate, quia uoti compos effectus esset, subiecit carnem penaltati, ut filie Babilonis, id est carni retribuere retributionem, quam retribuit ei culpa suadendo et rationem ad consensum prouocando. Vixit postea annis quinque, nequaquam uinum gustauit, nisi cum sacramentum altaris perciperet, licet eius debilitas multum requirere uideretur. Quid dicam de esu carniuum? Ab annis quadraginta plus minusve quantumcunque infirmus, ut secundum regulam pro reparacione uirum carnibus uteretur et hoc ei diuina gratia contulerat, quod nullo cogebatur prelatorum imperio, ut carni condescenderet etiam in licitis et concessis. quia omnibus patuit, ipsum nequaquam uicio singularitatis laborare, sed deuocionis gratia habundare. Vnde ab uniuersis affectuosissime, ut dignum fuerat, semper uenerabatur.

16. Primordia igitur sue conuersionis frater Hugo in dei timore fundauit, ut spirituale edificium deo dignum super edificaret. Primum enim donum est spiritus sancti accedentibus ad deum, sicut sapiens dicit, filii, accedens ad seruitutem dei sta in timore dei et prepara animam tuam ad temptationem\*. Et propheta, intuens doni huius effectum salutarem, uoce gratulabunda loquitur dicens: domine, a timore tuo concepimus et peperimus spem salutis\*\*. Et sicut<sup>1</sup> de iusto Symeone ewangelista scribens, erat, inquit, timoratus et expectans redenpcionem Israel\*\*\*. Sic iste bonus homo, quasi lumentes<sup>2</sup> fluctus super se, semper deum timuit. Vnde accidit, ut eo sedente aliquando in claustro, dum esset in ordine dyaconatus, et recogitante, fore annos pristinos in amaritudine anime sue, cinerem sue fragilitatis tanquam panem, qui cor hominis confirmat et fletum compunctionis miscendo cum poculo deuocionis, subito respexit in superficie manus sue, scilicet litteram sine atramento et incausto uisibiliter descriptam. Vnde timore nimio concussus, nichil aliud interpretabatur, nisi sepulturam sue incineracionis et prematuram, mortem prefiguratam. Et ecce, senex monachus mire simplicitatis transiens, qui ab infancia in disciplina religionis erat nobiliter nutritus et sacriste tunc temporis fungebatur officio, de seculi negotijs nullam habens experientiam, quodammodo uidebatur nescire, quid esset inter dextram et sinistram, vnde sepius actionibus iunioribus iocose in rebus minimis decipiebatur. Hunc ergo ad se uocans sonitu signi predictus frater Hugo

ostendit ei manum, super qua<sup>1</sup> littera<sup>2</sup> formata fuerat, inuit ei signo, ut monachis loquendi usus est, in breui se fore moriturum et in terra sepeliendum. At ille spiritu propheticè tactus intrinsecus, cuius sermocinacio constat esse cum simplicibus, fiducialiter negauit, quod frater Hugo asseruit et scilicet litteram ad aliam retrusit<sup>3</sup> ethymologiam dicens: Hoc anno sacerdotij gradus ascendetis et deo dignam longo tempore offeretis hostiam, ut sacerdos altissimi quasi sacer dux iure uocari mereamini. Ipso igitur anno frater Hugo factus sacerdos, ut senex ille propheta fidelis inueniretur et uerbum in ore eius uerum probaretur, omnibus innotuit, magnum fore futurum, quem dominus prouenire dignatus est in benedictionibus dulcedinis signa et prodigia manifestando et congruo tempore gloriosis operibus adimplendo.

17. Accidit etiam, ut idem bonus homo, frater Hugo cum subcellerarij fungeretur officio, ad proximam grangiam pro quodam negotio tractando egredi et more solito de nocte redire proposuisset, imitabatur eum dominum ac saluatorem nostrum, qui predicando turbis laborabat per diem, noctibus exiens in orationibus per uigil manebat. Sic homo dei horis diurnis fratribus sedulum exhibebat obsequium, nocturno uero tempore manens in claustro ocium contemplacionis nanciscebatur<sup>4</sup>, minime tamen ociosus. Et ideo per diem exiens ad laboriosa Lye opera, noctibus redire satagebat. Rachelis sue cupiens amplexibus delectari. Ut ergo expedito negotio cicius redire potuisset, equum sibi sterni et ad portam claustrum iusserat deduci, ubi ueniens antequam equum ascenderet, signo crucis se muniuit, caput uero ipsius caballi apprehendere uisus est, ut ei karakterem crucis pro securitate itineris imprimeret, sed illo recalcitrante et caput mirabiliter mouente frustratus est a spe sua. Tandem ascendens equum iter suum aggreditur et in medio itinere equus subito cecidit et confracta ceruice mortuus est. Ipse uero sine lesione ad predictam ueniens grangiam peractoque negotio, pro quo uenerat, ad claustrum rediit in modum columbe reuertentis ad archam, cum inuenire non posset, ubi pes eius requiesceret reuersus, que confidenter asseruit, uirtute sancte crucis se fuisse a periculis mirabiliter defensatum. Ostendit igitur ratiocinando quasi prodigiosum existere, quod caballus, signum uite recusans, casualiter uitam perdiderit, sic inuens, per equum non incongrue superbum hominem posse intelligi, qui nolens

<sup>1</sup> sic, §f. <sup>2</sup> lumentes, §f.

\* Ecclesiastic. 2, 1. \*\* eine ungenaue Beziehung auf 3f. 26, 18. \*\*\* 4nc. 2, 25.

<sup>1</sup> quas, §f. <sup>2</sup> litteras, §f. <sup>3</sup> retrouit, §f. <sup>4</sup> nanciscebatur, §f.